



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

[Q. 3. ] Quænam sunt remedia iræ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

q. 158. a. 3. potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemiae, injuriae, convitii, maledicti, &c. Quae ex nimia irae commotione oriuntur.

Q. 2. *Quenam sunt filia Ira?*

*Resp.* Sunt 1. Indignatio, quae est animi commotio contra alium ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat. Saepe venialis est: mortalis verò ratione maledicti, contumeliae, gravis odii, contemptus, vindictae, vel scandali.

2. Tumor mentis, qui est aestus quidam exandescens animi, & excogitantis diversas vindictae vias. Mortalis, vel venialis est, pro qualitate vindictae excogitatae, & expertae.

3. Clamor, qui est inordinata, & confusa locutio. Potest esse mortalis ratione convitii, maledicti, scandali, &c.

Denique Blasphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugnae, seditiones, vulnera, homicidium. Quae omnia sunt ex genere suo mortalia, utpote contra charitatem, & justitiam.

Q. 3. *Quanam sunt Ira remedia?*

*Resp.* Praecipua sunt considerare, quam sit injusta, & perniciofa, orare, meditari mansuetudinem Christi, nil unquam agere, &

& loqui ex motu, vel in motu iræ, sed solum postquam sedatus est; omni cura impedire iræ motum, & excitatum statim reprimere; exercere frequentes actus charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, &c.

## ARTICULUS VI.

*De Invidia.*

Q. 1. *Quid est Invidia?*

*Resp.* Est tristitia de bono proximi, quatenus videtur imminuere gloriam, vel excellentiam nostram, quia nempe in eo bono ab eo æquamur, vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æstimatur. Mortalis est ex genere suo, nam directè opponitur charitati, cujus est de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere; & ad Gal. 5. invidia dicitur excludere à regno Dei. Estque diabolicum vitium ex Sap. 2. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Invidia autem sumpta pro habitu est vitium inclinans ad talem tristitiam, & ad gaudium prædictum.

*Not.* Ex S. Thom. 2. 2. q. 36. a. 2. tristitia de bono alieno potest contingere